



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Pars Tertia Adjumenta bonæ Voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

P A R S T E R T I A.

Adjumenta bonæ Voluntatis.

S E C T I O P R I M A.

Adjumentum primum,

*Consideratio modi, quo agit Providentia,
ut nostra omnia illi permittamus.*

I. *Quid Providentia?* S U B T I L I O R Theologia, quæ res divinas, quantum mortali fas est, comparatione cum rebus nostris assequi conatur, inter alias de Providentia divina quæstiones & hanc proponit: in quonam actu propriè sita sit, Intellectûs, an Voluntatis? Voluntatem mavult Damascenus, quia Providentia cura est: benevolentia autem imperat curam, & fatagit. Si ergo cura est à voluntate, & Providentia cura est, Providentia utrique est foetus voluntatis. Intellectum mavult Angelicus Doctor, ex defini-

defini-

definitione communi, quòd Providentia sit *Ratio ordinis in finem*: ratio autem est in intellectu, ipseve intellectus. Recepta passim sententia decidit, utrumque actum comprehendi: intelligentiam tamen præcipue, quia Providentia est scientia practica, diciturque velut Porrovidentia, & est pars prudentiæ. Possimus magis ad vulgi captum dicere, Providentiam aliud nil esse, quàm Bonitatem & Justitiam omnia scientem, & Potentiâ infinitâ utentem ad fines suos.

II. En igitur quatuor velut vultus Providentiæ divinæ, quos qui attentè inspexerit, non difficulter Resignationem, ac Fiduciam, & Indifferentiam amplectetur. Misericordiæ & Bonitatis argumenta certissima ab ipsis hujus tractatus fundamentis vidimus, eruta ex sinu divinitatis, ac naturâ summi boni, quod necesse est, ut bonum & benè velit. Consequens esto: quidquid nobis inde acciderit, exosculationem ejus manum, velut medici salutarem, aut benignissimam patris. Ne simus ex eorum

eorum

eorum cœtu, de quibus Prosper conquiritur libro de Providentia,

*Cùmque Deus medicã à calò demittere curans
Dignatur, penitúsque putres abscindere fibras:
Incusamus open teneri, & tabescere morbo
Malumus, antidoti quàm vim tolerare severi.
Non igitur mala sunt, quia nos mala ducimus,
& cùm.*

*Ulcerebus diris non parcit dextra Tonantis,
Amplectèda manus, non exacuenda querela est.
In eandem sententiam Augustinus ep. 50.
ad Bonif. Molestus est medicus furenti phre-
netico, & pater indisciplinato filio, ille ligando,
iste cadendo: sed ambo diligendo. De
hac paterna Dei bonitate intuenda, plu-
sculum aliquid dicemus ad calcem se-
ctionis.*

III. *Altera* Justitiæ divinæ severior quidem,
ejus facies non tamen minùs aspectabilis fa-
Iustitia. cies est. Cõstat enim, cùm justus
sit, justè ab illo omnia disponi, ut loquitur
Sapiens cap. 12. ac justificari illum in ser-
monibus suis, & vincere cùm judicatur,
apparereque æquissimas suppliciorum
quorumvis rationes, ut canebat Psalmista
poeni-

pœnitens Pſal. 50. Unde neceſſariò conſequitur, Juſtitiaẽ divinaẽ in quibuſvis eventis acquieſcendum. Nam citra injuſtitiam juſtitiaẽ obmurmurari non poteſt: eſtque certiffima impietatis nota, & damnationis præjudiciũ, quæ Deus fecit non probare. Ita diſputat Auguſtinus, de verâ religione cap. 22. *Univerſitatis hujus conditio, atque adminiſtratio, ſolis impiis animis, damnatisque non placet: ſed etiam omnibus ſanctis cum miſeria earum, multisque vel in terra victricibus, vel in cælo ſine periculo ſpectantibus, placet. Nihil enim juſtum diſplicet juſto.*

IV. *Juſtus Deus, etiam utens injuſtis.* Nec dicas, Juſtum quidem Deum eſſe, ſed instrumenta quibus utitur injuſta: adeoque non poſſe te acquieſcere ſuppliciis, manu illorum illatis. Si enim compenſendæ iſti querimoniaẽ antè à nobis dicta non ſufficiunt: occurret Auguſtinus libro de Civit. Dei 22. cap. 102. *Multa ſunt à malis quidem contra voluntatem Dei: ſed tanta eſt ille ſapientia, tantaque virtutis, ut in eos exitus ſive fines, quos bonos & juſtos ille præſci-*
vit,

vit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa. Et disertius atque expressius quæstione 79. in Exodum: In uno eodémque factò, & Deus de occultâ equitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur. Item in Psalmum 61. Vide quid tibi fecerit iniquus, quid justus. Ille voluit, iste permisit. Ille injustè voluit, iste justè permisit. Voluntas injusta damnetur, permissio justa glorificetur. Deus per moribundum Mosen Deut. 32. minas intentans populo suo, ob peccata prævisa & certò futura: Congregabo, inquit, super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Ita erga nos agit: posuit nos velut scopum sagittationi suæ, arcum tetendit & paravit illum, sagittas suas ardentibus hominum malevolorum odiis effecit. Deus sagittarius est, arcus justitia, missile verba factæve injusta, ab hominibus malæ voluntatis profecta. Quid plagæ indignamur, quid conquerimur de missili, & mittentem non inuenimur? Aprorum hoc est, in sagittas & venabula cuti suæ infixæ frendentium, & despumantium, dexteram venatoris tela vi-

la vibrantis non adspicientium. Quis sapiens reus altercetur, & sæviat in carnificem, sententiæ Judicis exactè obtemperantem? Quin illi potius pecuniam numerari jubeat, ut D. Cyprianum securi ferendum lictori suo fecisse, Pontius refert. Carnifices nostri sint malæ hominum voluntates, famam lanient, honorem concidant, opes concerpant, nos & nostra quæ possunt excarnificent: bilis tamen in illos evomenda non est: quandoquidem nîl agere possint, nisi ex supremi Judicis præscripto.

V. De Dei manu adspicienda, *Ei iustitia acquiescendum.* etiam ubi manibus improborum utitur, satis diximus Partis alterius Sectione prima. Interim ad eventa quælibet, seu Saül invideat, sive Absalon rebellet, seu Semeï convitietur, assuescamus dicere cum Davide Psalmo 118. *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.* Quæ verba identidem repetebant Hippone obsessi per Vandalos Episcopi Africani cum Augustino, uti narrat Possidius cap. 28. Vitæ D. Augustini. Eadem

in ore habuit Mauritius Imperator, à Phoca gregario nuper milite captus, spectareque coactus carnificinam liberorum, constantiâ in tam atro spectaculo prorsus admirabili, apud Baronium anno 602. Neque absimilia iteravit Pharao prodigiis conterritus, & plagis tantisper edomitus Exodi cap. 9. *Peccavi etiam nunc: Dominus justus, ego & populus meus impii.* Sed quia cogitationi isti, ac confessioni, seriam pœnitentiam non adjunxit, frustra fuere voces in speciem piæ. Nos & agnoscamus Justitiam divinam, & supplicii acquiescamus, & clementiam pœnitendo demereamur.

VI. *Potentia tertius. Providentia divina vultus.* Nec difficulter Justitiæ divinæ decernenti stabit, qui decreta sua efficacissimè exequentem contemplabitur, potentiamque ejus agnoscat & expendet. Neque enim ignorabit, sese velut reum convictum & damnatum esse inter satellitum manus, quas si sequi noluerit, iuventus ac renitens trahetur. Christiano sufficiunt hæc verba ex cap. 49. Isaia: *Ego sum Deus, & non est.*

est ultra Deus ... Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Item illa cap. 14. Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes Gentes. Dominus enim exercituum decrevit, & quis potest infirmare? Et manus ejus extenta, & quis avertet eam? Adde tamen ista Augustini cap. 102. Enchiridii. Quanta libet sint voluntates vel Angelorum, vel hominum; vel bonorum, vel malorum; vel illud quod vult Deus, vel aliud volentes quam Deus, Omnipotentis voluntas Dei semper invicta est. Expende etiam isthæc Senecæ planè Christiana, libro de Vita beata: Ad hoc Sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostra potestatis non est. In regno nati sumus, Deo parere libertas est. Insaniam, qui navi ad scopulum religata, funem trahendo & contendendo existimet fore, ut scopulum adducat ad navim, navim potiùs allisurus ad scopulum. Immobilem & invictam Dei potentiam ad te, ô homo, trahere non potes; duci te sine: & quod Publius Mimus non mimicè pronuntiavit, *Feras, non culpas*

culpes, quod vitari non potest: nec ventis ac fluctibus irascere, cum navigas. Pessimus scriptor Lucianus, non malè tamen Anthologiae Epigr. lib. I.

Εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρει καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανάκτεις,

Καὶ σάουλον λύπεις, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.
Latinè reddi tam eleganter non potest: sententia tamen hæc est. *Si fatum*, quod utique aliud non est quàm divina Providentia, uti aliàs diximus: *Si ergo fatum te fert, feras, & patiare ut feraris. Si autem indignaris, ipse tibi molestus es, & fatum nihilominus te rapiet.*

VII. *Quid Domino debeamus.* Necessitatem hanc obsequendi divinæ Potentiæ novâ imagine pingamus. Potest Providentia divina cogitari & adspici, ut Dominus supremus, qui nobis imperet: aut velut Sapiens ductor, qui nobis præeat: aut sicut optimus Pater-familias, qui domum regat. Ergo ipsi resistere non possumus, quia dominus est: neque, ut possemus & fas foret, resistere tamen debemus, quia dux & pater est. Dominica & Regia edicta

edicta in variis regionibus claudi verbis
 hisce, aut similibus, solent: *Sic placet: Ea
 voluntas nostræ est.* Quæ verba ubi fidelis
 subditus boni Principis legit, protinus
 acquiescit, nec de ratione legum edicto-
 rumve quærenda sollicitus est: non nescius
 consilium & imperium Domini rem esse,
 obsequium & obedientiam subditi. Mo-
 net Ecclesiasticus cap. 4. *Noli resistere
 contra faciem potentis, nec coneris contra
 ictum fluvii.* Quid enim adverso torren-
 ti te opponens lucrabere, quàm laborem,
 & spumeam asperginem, forsan & sub-
 mersionis periculum? Jehu, libro Re-
 gum 4. cap. 10. Rex Israël creatus, rem
 à Samaritis durissimam postulat: respon-
 sum tamen, *Servi tui sumus, quacumque
 jusseris faciemus, quacumque tibi placent fac.*
 Astyagen Medum narrant, noxæ nescio
 cui barbarico more puniendæ, epulandas
 Harpalo filii carnes apposuisse, & bene
 pasto inferri jussisse caput, ac petiisse, ec-
 quid ipsi carnes filii sapuissent: Harpalum
 foedâ adulatione dixisse: *Quidquid facit
 Rex, illud mihi perplacet.* Adcône te ho-
 minem

minem & patrem oblitus es, ut humanos ipsiusque filii tui artus, visceribus tuis ingestos cum stomacho luctari dissimules, in lupi illius ac tygridis gratiam? Sed an tu, inquit, nescis qualemcumque illum, Regem tamen meum & Dominum esse, nec mihi quidquam adversus illum licere?

VIII. *Potestati cedendū.* Regulis istis terrarum quæ potestas, præ omnipotentia illius, cui, ut Theodoretus ait Oratione prima de Providentia, *non servorum calamitas, sed natura ipsa dominium dedit?* Quem non favor subditorum, non fortunæ vicissitudo, non armorum vis extulit: sed ipsa naturæ suæ magnitudinisque necessitas, ut si omnia non creasset, dominus tamen omnium esset, ob infinitatis suæ supra res omnes eminentiam. Quidni ergo omnia, quaecumque voluit, faciat in caelo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis? Quidni dicamus ipsi ex animo: *Servi tui sumus, quaecumque jusseris, faciemus, quaecumque tibi placent, fac?* Ingredis fortè in benè ordinatam aliquam viri principis domum, ubi famuli œconomo, œcono-

œconomus hero, ut par est, obtemperare consueverint. Vides in aula luculentum ignem, œconomumque audis famulo dicentem: Heus tu an bos hodie assandus est, quòd tantum ligni exuritur? At, inquit famulus, ita hero placitum. Audito heri nomine, protinùs prudens & moriger œconomus conticet. Quotidianum istud est, etiam in privatis domibus: ubi sapientes matronæ ancillarum & liberorum facta reprehendere non audent, et si in speciem mala, quia sic maritus iussit, ut in simili argumento notat Drexelius. Intras in domum Universi, sub Patrefamilias Deo ordinatissimam: oculis objiciuntur incendia urbium & provinciarum, bellis, aliisque publicis calamitatibus ardentium: spectas prostratos lue horrenda populos, grandine obrutas segetes, fame semineces nationes. Interrogare velis bellum, famem, tempestatem, quid hinc agitis? Famuli, inquit, & ancillulæ sumus, hero nostro Deo obtemperamus: tu mi homo saltem æquè deferas Deo, ut œconomus hero, aut uxor marito.

Illustrissi-

Illustrissima sunt, in ea dominatûs divini consideratione, verba Heli, libro Reg. I. cap. 3. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Pondera singula verba, in quibus summa resignationis, & caussa, motivumve continetur. Et ut magis mirare, attende, quâ occasione prolata sint: quando mors liberorum, familiæque universæ æternum dedecus, cum acerbissima exprobratione denuntiabatur. Perpendi etiam poterunt ista Psalmistæ ps. 38. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti:* Tu Domine universorum, tu Potentia ineluctabilis, cui nec potest resisti, nec debet.

IX. Tu Sapientia immensa, quæ in consiliorum tuorum dispositione aberrare nequis, & de qua ratione decretorum suorum exquirere insanissimum foret. *Consilium Deo tribuamus,* inquit Augustinus epist. 49. ad Deo gratias, ad quæstionem secundam, *nobis obedientiam teneamus.* Dedisti te in disciplinam magni alicujus viri: certus, opinor, ipsius monitis audiens esse, stare

G

consi-

consiliis, iussis obsequi. Ita nobilissimus
adolescens Lambertus sub Divorum Lan-
doaldi & Theodardi ductu meliorem vi-
tam auspiciatus est. Suasere, ut scientias
divinas potius, quam humanas excoleret:
ostendere iter ad virtutem excelsius, in
abdicatione largarum opum, & dignita-
tum sese ultrò ingerentium. Statim ac-
quievit, quia id apud se statuerat, à sapien-
tissimis viris, & divinarum rerum consul-
tis regi se sinere. Incedis fortè per viam
ignotam, per Alpes aut Pyrenæum: si sa-
pis, ducem adsciscis gnarum itinerum
quempiam, de cuius probitate non dubi-
tes. Ducat te hic per calles angustos &
salebrosos, per tortuosos anfractus, per
horrida rupium cacumina, è quibus nubes
despectes, & profundarum vallium tene-
brosas voragines. Veniat tibi forsan in-
mentem dicere ductori: O bone, per
quas semitas circumducimur? Nonne ad
dexteram prata video? Nonne ad sini-
stram planiores & rectiores viæ apparent?
Sed cum tibi ductor responderit: sine
contisper, centies hæc itinera emensus
sum

sum, nullum mihi diverticulum non cognitum est. Si ad isthæc prata divertamus, placetne tibi in latronum gladios incurrere? Si ad lævam deflectamus, velisne in præcipitia ruere? Simul hæc à ductore audieris, acquiesces, damnabisque ipse cogitationes tuas: aut, si obgannire perges, meritò ductui tuo solus relinquêris. Ductori probo & perito fidendum est, non fidetur ducenti Deo? Non dicitur cum Jeremia Propheta cap. 17. *Non sum turbatus, te pastorem sequens?* Non iterabitur illud Cleanthis, Senecæ, & Epicteti:

*Duc me pater, summique moderator poli,
Quacumque placuit, nulla parendi est mora.*

X. Audivimus Partis I. sect. I. ex
Deus, choragis. Philosopho, Deum choragi instar esse, Imperatorisve, aut Navarchi. Idithun, Asaph, Heman, psalteræ Davidici, musicam scribant, distribuantque partes suas cantoribus singulis: horum nemo, opinor, tam erit amûsus & insulsus, ut inagistri compositionem reprehendat. Si quis audeat, ut è choro

non ejiciatur, hoc saltem audire merebitur: canta puer, nec de harmonia ex unius parte judica: tu quod tuum est præstiteris, & alii pariter, non poterit non suavissimus concentus existere. In hodierno publicarum ac privatarum rerum concentu dubitari non debet, quin toni non pauci duriusculi sint, multis ut vocamus suspiriis interrupti, multis diesibus fracti, multis notarum nigrarum colligationibus fusi. Hic Dorico tono, illic Jonico, alibi Lydio locus suus est. Numerus nunc citatus, nunc lentus; seu mensura nunc tripla, nunc communis, percutitur. Tu tamen, quisquis es, cave obmurmures: canta solum, aut tace, ubi musicæ magister voluerit: dulcissimam harmoniam si nondum capis, aliquando tamen intelliges.

XI. Gregario militi sub Imperatore
Imperator,
de navar-
abus. Machabæo numquam in mentem venisset inquirere, cur in fronte cohortes illæ collocarentur, cur aliæ in cornibus, aliæ in auxiliis: aut cogitationi nascenti statim ipse occurrisset, dixisset-

dixissetque sibi, sub sapientissimo & expertissimo duce militamus: disponat ipse, nos sequamur: si milites officio non desint, spes victoriæ certa est. Vectorum impudentium foret, scienti ac probo Navarcho obloqui, & nunc expansa vela, nunc contracta, reprehendere: nunc obliquam navigationem, nunc rectam incursare: de velocitate modò, modò de tarditate conqueri. Novit ille sinûs & scopulos, ac vada latentia, & quâ arte vitentur: vectori quiescendum est. Quid de Imperatore & Navarcho loquimur? Pictorem in officina sua, imò fabrum ferrarium, reprehendere ausit oculatus nemo: & tu audeas *reprehendere in hoc mundo Deum*? Horret animus cum sacrilegas voces, si tamen voces, meminit, astronomi & Regis, nominari indigni, quando sic locutus est. Spondanus Annalium Ecclesiasticorum Continuator, ad annum 1282. perhibet, sæpiùs auditum dicere: si à Deo adhibitus fuisset, ad Universi creandi consilium, futurum fuisse, ut nonnulla meliùs ordinatiusque conderentur.

Quis ad horrenda illa non verba, sed murmura, non exclamet, quod Hilarius libro contra Constantium Augustum, in re non longè absimili: *O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt! Hac de Deo ab homine dici? Tunc capacissimæ illi, & illuminatissimæ, & omniscienti, præfidens ingeniolo tuo animula, obloquare? Tu summi artificis opus carpere aut fugillare audeas? Quis enim, non jam animalculorum & homuncionum humi repentium, sed Cherubinorum & Seraphinorum supra cælos evolantium, cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

XII. *A Deo non petendum, Cur?* Serpentinum & diabolicum vocabulum est *Cur*, à Satana usurpatum, quando homicida fuit ab initio. *Cur*, inquit Genesis cap. 3. *præcepit vobis Deus? Petiisset saltem, Cur de ligni istius fructu non comeditis? In promptu erat responsum, non comedimus, quia prohibitum nobis est: sed interrogare maluit mandati causam, cur Deus præceperit, cur ita constitutum, quæ denique*

denique ratio vetandi? Sapuerant foemina & maritus, si respondissent: de Deo petendum non est, Cur aliquid faciat, cur permittat? Cur hic pauper, ille dives? Cur mali bonis permisti? Cur mali floreat, boni laborent? Decretorum istorum divinorum rationes etsi aliquas scimus, & locis suis reddere conamur, edemusque Deo propitio in Commentariis ad Machahæorum libros: ultima tamen ratio hæc est, nullam à summa Sapiencia rationem peti debere. *Non enim est, ut inquit Sapiens Proverb. cap. 21. sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sapientis pater libro 3. Regum cap. 16. expulsus è civitate Regia, & ad infortunii cumulum, probris ac maledictis ab impotente homine proscissus, hac una cogitatione sese solabatur, à Deo eam sibi pœnam, quamvis improborum ministerio, infligi, *Et quis audeat dicere, Quare sic fecerit?* Idem nos ad singula eventa ingeminare consuescimus.

XIII.
Petendum,
quod Deus
vult.

D. Augustinus jam senex & occupatissimus, cum rogatus esset à Quod-vult-Deo Diacono Carthaginensi, ut librum de Hæresibus scriberet, sic eum in Præfatione sua alloquitur: *In ipsa molesta instantia tua, etiam tuum nomen attendi, & dixi: Aggrediar, & faciam, quod vult Deus.* Faciamus & nos, & patiamur quod vult Deus: quia Dominus est, cui rebellare refractarii est: quia sapientissimus ductor, quem sequi nolle extremæ dementiæ est: maximè, quia suavissimus pater, cui non acquiescere, alienum à natura est. Patrem cogitabat Chrysostomus, cum, quam habuit concionem proficiscens in exilium, ab his vocibus cæpit, *Benedictus Deus*: ab iisdem vocibus orsus, quam dixit rediens ab exilio. Ab eadem cogitatione Bernardus omnes fermè Sermones in Cantica hâc formulâ clausit, *Benedictus Dominus.*

XIV.
Standum
est medico,
& patri.

Quoties visi pueruli medicamenta horrere, quando ab ancilla propinabantur: Sorbere eadem generosè à manu patris, aut matris?

Facia-

Faciamus, cum B. Francisco Salesio Episcopo Gebennensi, ægrotantem expertissimi medici filiam unicam. Carissimus pater optionem dat medicinæ cujuslibet, & curationis: artem omnem suam, & industriam, propensione infirmitatæ ejus paratus accommodare, si voluerit. At ægra, quæ par est erga patrem & medicum observantiâ & fiduciâ: enimverò, inquit, eligere meum non est; sumere, quod dederis, meum est: neque enim nescio quis sis, quantum experientiâ valeas, quantum me ames. Ab ingenio isto, & manu, nihil nisi salutare expecto. Decerne itaque, ut voles, nihil enim aliud quidquam mihi velle statutum est. Eundem in modum de optima & misericordissima Dei manu, in adversis juxtâ ac prosperis, cuius homini cordato sentiendum ac loquendum.

XV.

Ejus cogitationis suavitatis.

Qui Dei sapientiam eventa omnia disponentem attendit, ac reveretur, discipuli instar est sapienti doctori contradicere non audentis, & Pythagoræo silentio magistri

154 BONA VOLUNTAS
scita sententiásque venerantis. Qui Po-
tentiam agentem contemplatur, & du-
centem trahenté inve subsequitur, velut
dominum habet, contra quem hiscere tu-
tum non est. Qui Justitiæ acquiescit,
intuetur sicut Judicem reus confitens, ac
tremens dicit, quod Eliu à Jobo volebat
exprimere cap. 33. *Peccavi, & verè deliqui,
& ut dignus eram non recepi.* At qui Mi-
sericordiam & Bonitatem Dei adspicit,
habet illum instar amabilissimi patris, &
cum Seneca epist. 98. damnis, vulneribus,
mortibus incurrentibus, amat Providen-
tiam divinam, sibi que ipse identidem in-
geminat: *Non pareo, sed assentior: ex ani-
mo illum, non quia necesse est, sequor.* Quid
Christianum magis, quid sanctius ac su-
blimius, rationique simul ac fidei magis
consonum, ex ore Christiani ullius au-
diamus?

XVI. *Et sancti-
tas.* Ezechias Rex sanctissimus, li-
bro 4. Regum cap. 20. ad tri-
stem Isaïæ, de posterorum suo-
rum dedecorosa captivitate, denuntiatio-
nem: *Bonus, inquit, sermo Domini, quem
locutus*

locutus est. Sic D. Catharina Genuensis ad malorum quorumvis sensum solita iterare, *Grata venerit calamitas ab amabili Dei manu.* Ita D. Josephus, teste D. Birgittâ, ubique ac semper ingeminare consuêrat: *fiat quod Deo placuerit.* Sic fidelissima & obedientissima ancilla Domini, filiâque, & mater D. Virgo, in Annuntiationis Dominicæ gloria, & Passionis ignominiosæ tormentis, pariter ex animi sententia pronuntiavit, *ô Deus, Fiat mihi secundum verbum tuum.* Sic Christus, Matthæi cap. II. de reprobatione quorundam, quos tamen, ut homines ad Dei imaginem conditos non amare nequibat, Deum laudans: *Ita, inquit, Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Non utitur appellatione Judicis, æquissimam in ea reprobatione pro meritis ferentis sententiam: non domini, de re sua liberè & cum potestate statuentis: non magistri prudentissimi, arcana sua prout videbitur exponentis: sed suavissimam adhibet appellationem Patris, ut eò facilior sit ac jucundior, in re quamvis tristi, humanæ volun-

156 BONA VOLUNTAS
tatis cum divina conformitas. Eamdem
ob causam non alio quàm Patris dulcif-
simo nomine usus est, in horto Olivarum,
quando ipsi fæculentus calix, amarissimus-
que, ac peccatorum omnium horrore, &
pœnarum imminentium acerbitate ple-
nus, propinabatur.

SECTIO SECUNDA.

Alterum Adjumentum,

Consideratio providentia humana.

I. *Providen-
tia divina
lampas.* **Z** Achariæ Prophetæ objici-
tur cap. 4. videndum can-
delabrum, & lampas ejus su-
per caput ipsius, & septem lucernæ ejus super
illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant
super caput ejus: & duæ olive super illud, una
à dextris lampadis, & una à sinistris ejus.
Describitur candelabrū septiceps in tem-
plo Hierosolymitano ardere solitum, eâ
ferè formâ, qua Exodi cap. 25. describitur
in tabernaculo collocandum. Aptissima
figura Providentiæ divinæ, quæ aurea
tota

tota est, & pervigil, oleumque, ac lumen lucernis aliis, suorum decretorum ministris, communicat. Eo lumine collustrantur præsertim olivæ duæ, operi pacis, ædificando Hierosolymitano templo, studentes, id est Zorobabel, & Jesus filius Josedechi: & quicumque eorum exemplo aggrediuntur agenda, freti auxilio potentia ac misericordia divinæ, non autem viribus suis. Hanc explicationem ab Angelo accipe ibidem: *Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. Quis tu mons magne congeries impedimentorum redintegrandi templi, ab æmulis excitatorum, coram Zorobabel? In planum: mox Dei auxilio obices omnes subruentur, & aspera fient in vias planas. Adverte animum præsertim ad illa verba: non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.*

II.

*Qui eam
non cer-
nant.*

An ergo memet mihi fidere nōlis,
non divitiis, non dignitatibus,
non amicis, non robori mem-
brorum,

brorum, non viribus animi, non eloquentiæ, non prudentiæ? Planè volo fidere, sed intra modum ac fines. Damnandi, qui nullo ad Deum respectu, fide Providentiæ divinæ nullâ, solis sibi, aut alienis hominum amicorum auxiliis incumbunt. Talis fuerit apud Dionem M. Antonius, qui matri, pecuniam à plebe ac Senatu extortam, & tam citò profusam, conquerenti, respondit, aurum sibi non defore, quandiu ferrum non deesset. Cum isto homine si Carneades aliquis, aut Philosophorum ejus ævi alius de Providentiâ divinâ disputasset, suam ipse Providentiâ ostentasset, admota ad gladii capulum manu. Ab hac bellua mutuatus forsan Nazarius Constantini panegyristes, probrosum illud, & Christianis temporibus intolerabile, *sua cuique prudentia Deus est*. Non longè ab impiis illis absunt, qui de Providentiâ quidem divinâ fidem habent, ad eam tamen in agendis patiendisque non attendunt, sed ad se tantum mortalésve alios. Sic Rex Afa, libro Paralipomenon 2. cap. 16.

æger

æger non in Domino, sed magis in medicorum arte confidit, non infidelis, sed immemor. Ita mercatores, Jacobi cap. 4. de annis & lucris constituunt, omisâ necessariâ illâ in futurum conditione, *si Deus voluerit*. Sciunt sanè à Deo regi omnia, & eventus omnes ejus arbitrio temperari, neque experientiam suam, ingeniumve, aut fortunam, aliud esse, quàm supremi gubernatoris instrumentum: sed quod sciunt, non adspiciunt, eodémque modo agunt, ac si nescirent, vel non crederent.

III. *Dei bonitas confertur eum creata.* Ut de hoc altero hominum genere non sumus, nam de primo absit ut ullus vel tenuiter pius cogitet, firmiter hanc veritatem menti infigamus: Mortalium nulli, aut aliarum intelligibilium creaturarum, ne nobis quidem ipsis, tam bonam erga nos esse voluntatem, quàm Deo, ut bonum velimus: nec tantam sapientiam, ut eligamus media ad finem: nec tantam potentiam, ut possimus exequi quod destinavimus. Ergo meliùs multò à Deo nos regi, quàm à nobis ipsis, aut ab hominibus:

bus :

bus ingeniiſve aliis, niſi Deus illis ad nos ducendos utatur. Demus ſatis te habere bonitatis ut tibi benè velis, quomodò oportet. Negârint enim hoc multi. Negavit certè D. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 6. multos à ſemetiſſis verè amari, quia cùm *in homine ſint duo, ſcilicet natura ſpiritualis, & natura corporalis: per hoc homo dicitur diligere ſeipſum, quòd diligit ſe ſecundùm naturam rationalem.* Qui autem ita ſe non diligunt, odêre. Accedit Divo Thomæ Chriſti ſententia, Matth. cap. 10. ubi ait, ab iis perdi animam ſuam, qui eam amant, videlicet, non quâ æterna eſt & ſpiritualis, ſed quâ immerſa in corpus & carnem. Accedit Sapiens c. 17. Sapien. ubi de hominibus loquens ſemetiſſos ſequentibus, & odioſè amantiſſibus, Indisciplinatas appellat animas, & fugitivas Providentiæ. Accedit experientia quotidiana hominum ſponte ſuâ pereuntium: nam, ut Sapien. cap. 1. dicitur, *Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione virorum: ſed impii manibus & verbis accerſiverunt illam.* Demus tamen verè

te amari à teipso. Demus & illos, quibus
 fidis, satis habere bonitatis, ut te ament.
 Dubitârint enim ea de re Philosophi, qui
 veram amicitiam vix uspiam reperiri exi-
 stimant, regnare passim amorem concu-
 piscentiæ. Christus ampliùs dicit: *Cavete*
ab hominibus: Inimici hominis domestici ejus:
tradet frater fratrem. Ostendit experien-
 tia fraudes, inconstantias, proditiones
 inter conjunctissimos, qui ut necessitudi-
 nis & amicitia exempla spectabantur.
 Esto tamen Augustino Alipius, Basilio
 Magno Nanzianzenus, Paullino Sulpi-
 tius, Chrysofotomo Basilius Seleuciensis,
 Davidi Jonathas, Eliæ Elisæus, tibi fidus
 & constans animus. Sed eorum benevo-
 lentia comparandane divinæ? Amantne
 te æquè ac Deus? Si dubitas, revoca ad
 calculos, ut gratitudo solet, eorum pro
 te studia & opera: vide an pro te mun-
 dum creârint, pro te infame crucis sup-
 plicium subierint? Dicebat D. Teresæ
 Christus: si mundum non creassem, tibi
 crearem. Innocens, sancta, amabilis illa
 fuit: at non talis apostata ille perfidus, de
 quo

quo Christus, cum Carpo agens apud Dionysium affirmavit, pro perduto illo etiamnum crucem sese lubēter passurum, si passus non esset. Quis amicorum pro te id faciat? Imò, quis pro se? Isti tamen amico, aut tibi ipsi, plus fidas quàm Deo?

IV. *Sapientia humana qualis?* Sed faciamus, bonitati ac volūtati tuæ, & tuorum, prorsus te posse confidere. An verò sapientiæ innitēris, contra Sapientis iterata toties præcepta: *ne sis sapiens apud te ipsum: ne inuitaris prudentiæ tuæ: qui confidit in cogitationibus suis impiè agit?* Velim mihi bona omnia, & solidè bona: velint etiam alii. At modòsne eò veniendi pervidemus? Penetramusne ac perspiciamus commoda universa, incommoda, auxilia, obstacula, difficultates? Verissimè Sapientis dixit cap. 9. Sapient. *Cogitationes mortalium timida, & incerta providentiæ nostræ.* D. Bernardo, Sermone de fallacia vitæ præsentis, inventa, & commenta ingenii humani similia sunt igni, ac luci, lampadis exiguæ, aut parvuli cerei. Vix allucet

allucet ad passus duos, & quidem fumo
 obscuratur, ac lucendo consumitur.
*Accenditur cereus, non puram lumen est,
 sed lucerna: si quidem ignis ipse propria fo-
 menta consumit, nec nisi ipsâ consumptione
 fovetur.* Sic sunt ingenia nostra: parum
 lucent, & maxima pars eorum quæ scimus,
 non est minima eorum quæ nescimus.
 Intelligentiam, ex se satis obscuram, ob-
 nubilant passiones & affectus fumosi:
 unde nata Philosophi ac Poëtæ Christiani
 querimonia,

Heu quàm precipiti mersa profundo

Mens hebet, & propriâ luce relictâ,

Tendit in externas ire tenebras.

Denique ingenio agente, corpus patitur:
 corpore patiente, ingenium languescit,
 ipsaque sibi vivacitas ingenii mors est.
 Id expertus Ecclesiastes cap. 12. dicit:
Frequens meditatio, carnis afflictio est. Et
 Sapiens cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur,
 aggravat animam.* Idem forsan innuebat
 Jobus cap. 17. *Dies mei transierunt, cogita-
 tiones meæ dissipatae sunt, torquētes cor meum,
 & corpus meum, méque exedendo exe-
 dentes seipfas.*

v.

*A Deo
deficiunt.*

Adde, quod Deus sæpe istorum apud semetipsos sapientium consilia disturbat, & infatuat, sicut Achitopheli contigit, & sapientibus consiliariis Pharaonis. Judæis etiam, Isaia teste cap. 30. *Va filii disertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum.* Exodi cap. 1. politicum consilium Pharaonis, de perdenda natione Hebraicâ, Deus in ipsummet vertit, eumque facit altorem Môsis, à quo perdentur, qui Hebræos perdere voluerunt. Libro 3. Regum cap. 12. & 14. *Excogitato consilio facit Jeroboam vitulos aureos, ne sui ad Regem Juda, verum Dominum, redeant: idcirco à multis ad Roboami partes transfuentibus deseritur: & ista denique ipsa excogitatio Israëlitis est causa exitii.* Osee Propheta causam assignat cap. 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi: id est, sic se ipsi gesserunt, quasi non nossem. Argentum & aurum fecerunt sibi idola, ut interirent. Quoniam in araneorum telas erit vitulus Samaria:*

maria:

maria: quia ventum seminabunt, & turbiditatem metent. Reges Juda, delinendo populo, Baalis & aliorum deorum inanium simulacra adorant: ob id consilium, Deus scrutatur Jerusalem in lucernis, & visitat super viros defixos in facibus suis, qui dicunt, non faciet Dominus benè, & non faciet malè. Sophon. cap. i. Laudata Caiphæ prudentia à Judæis, Joannis cap. ii. quando dixit, Expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat. Mortuus est homo unus: tota nihilominus gens periit, captusque est astutus in astutia sua. Cæsares Romani, cædibus in Ecclesiam nascentem grassati, ipso opprimendi consilio eam multiplicavêre: Dominus dissipavit consilia Principum, & reprobavit cogitationes populorum.

VI. Sæpissimè, cum nobis relinquimur, idem nobis usuvenit, quod

Male eligit. Sigismundi Imperatoris aulico apud Peucerum, & ex illo apud Drexelium in Heliotropio. Res ferè sic habet. Quebatur aulicus obsequiorum mercedem sibi non donari, obscure quidem & subtimidè:

midè: non ita tamen, ut Sigismundus non audierit: longæ enim sunt, & manus, & aures Principum. Itaque ut amoeni erat ingenii, aulæ suæ risum daturus, pyxides duas formæ, materiæ, magnitudinis ejusdem, gemellas planè, jubet impleri, plumbo unam, auro alteram: sic tamen ut neutra præponderaret, indicioque nullo deprehendi posset, in utra lateret paupertas benè vestita. Vocatur querulus aulicus, & ne ampliùs de Cæsaris benevolentia exoptulet, jubetur ipse sibi mercedem optare, e pyxidibus istis alteram: plumbum uni inesse, aurum alteri. Ter-giverfanti, excusantiq̃ue, & mercedis suæ tempus atque electionem permittenti tandem, quod antè oportuerat, arbitrio Cæsaris, pyxides dantur in manus. Incipit invitus agere libripendem: versat identidem & reversat utramque, nunc dextrâ, nunc sinistrâ: circumspicit, explorat, pertentat, quacumque potest, & cùm indicii nihil deprehenderet per se, ex vultu Cæsaris & spectatorum quærere conatur. Anxius aliquamdiu sortes miscue-

miscuerat, cùm tandem, seu ne longiore mora tædium crearet, seu quia aliqua rectè eligendi conjectura videbatur: hanc, inquit, mihi pyxidem opto, & simul eam ambabus manibus comprehendit, velut possessionem capturus. Aperitur: & ecce tibi plumbea gaza apparuit, querulòque optatori verecundiam incussit, aulæ universæ risum excussit. Postquam desiti chinni, Sigisfundus ad eum conversus: tu ergo, inquit, deinceps imputa tibi fortunam tuam, non mihi: quippe sic ipsemet elegisti.

VII. *Non fi-
dendum
ingenio.* O quoties similia nobis contingunt! Fortunæ dicam inpingimus & litem facimus, nova desideramus, ignota petimus, eligimus pejora, amittimus meliora, affectibus cœci, & à Deo nobis relictæ, quia eo duce & electore contenti non sumus. Auctor Soliloquiorum cap. 16. sic inducit loquentem Augustinum: *Credebam me sufficere per me, nec perspiciebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum elongasti à me, & cecidi statim in me, & vidi, & cognovi.*

Verè

Verè de illo Monicæ à Simpliciano dictum, *Fidere ipsum nimis ingenio suo*: ideoque permissus sibi à Deo, plumbum præ auro elegerat, hæresin præ Catholica fide, luxuriæ sordes præ continentia luce: donec suimet pertæsus, Deo se credidit. Philo, libro 2. Allegoriarum legis, de inanibus hominū consiliis & ingeniis agens: *Audis, inquit, interdum medicum dicentem, ego his medicamentis, & alimentis, agrum meum persanabo. Sed saepe natura sine istis sanavit agrum, & cum istis interemit.* Agricola ait: *Seram, plantabo, apta est tempestas, culta tellus, selecta sementis: paullo post imber, aut æstus, aut miles spem vanam auferunt.* Proinde optimum est, postquam quod industriæ tuæ est feceris, eventum Deo credere; neque incertis cogitationibus conjecturisque fallacibus nimis inniti.

VIII. *Neque arti aut industria.* Opus Samsonis non est, ut prudentiæ nostræ palatia subruantur: febricula una non solum sanitatem & formam auferet, sed etiam eloquentiæ & sapientiæ silentium indicet.

Multos

Multos catarrhus unicus de prudentissimis stultissimos fecit, de disertissimis elingues. Morbus Maximo Oratori ita memoriam omnem absterfit, ut ne nominis quidem sui meminisset. Videmus verno tempore hirundinum artem in nidulis concinnandis. Alâ utraq̃ue cominade factâ, aquæ guttulas pulveri inspergunt, indeque lutum conficiunt, quod rostris ad domunculam ponendam deferunt. Postquam mirâ avium sagacitate luteum opus perfectum est, momento unico disturbabitur à muliercula, garrulitatis suæ æmulas hirundines non amante. Arte maximâ domum tibi construxeris, familiam fundâris, famam labore & intelligentiâ feceris, divitias industriâ comparâris: lutea sunt isthæc, levi ictu diffringentur; incendio domum, bello familiam, invidiâ honorem, injustitiâ opes amittes. *Perdix*, inquit Jeremias cap. 17. *fovit quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio, in medio dierum suorum derelinquet eas.* Quod de opibus ille, hoc de creatis omnibus bonis, industriâ humanâ comparatis, dicen-

H

dum.

dum: ova esse aliena, quæ à perdice incubantur, pullis exclusis ad veræ matris clamorem abituris, & novercam relicturis.

IX.
Non innitendum hominibus.

Demus nihilominus industriam nobis & sapientiam, quâ regamur, non deesse: sed quid possumus, folia quæ vento rapiuntur, tenuis pulvisculus minimo flatu avolaturus? Fidis tibi, fidis alteri cuilibet, quicumque ille sit tandem, homini fidis, qui affectu mutabilis est, conditione instabilis, corpore fragilis, animo imbecillis, ad extremum mortalis. Fidis illi, quem, uti Pharaonem, ranæ & culices subigent; uti Nabuchodonosorem, insomnia terrebunt; uti Holofernem, mulierculæ manus auferret: quibus dici potest, quod Isaïæ cap. I. *Erit fortitudo vestra, ut favilla stupa:* aut quod apud eundem cap. 36. *Ecce confidis super baculum arundineum istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Poëtæ Græci & Latini celebre nobis exemplum, vanissimæ & infirmissimæ illius

illius potentia, ostendunt in Priamo, cui *Quinquaginta intus thalami, spes tantanepotū,* ruentem familiam non suffulsere. Illustrius longè habes in Gedeonis filiis sexaginta novem, Judicum cap. 9. & septuaginta Achabi liberis, libro 4. Reg. cap. 10. quos una dies abstulit, spemque posteritatis præcidit. Sæculo proximè præterito, Margareta Lotharinga, Alensonia Dux, patre, fratribus, marito, liberis innixa, ante tricesimum ætatis annum luxit quinies & decies funera suorum, & dolore suo didicit, spes in fragili & lubrico non ponendas. Itaque postquam toties atrata inceserat, pro symbolo deinceps sumpsit Ecclesiastæ intercalaria verba, *Vanitas vanitatum*, sive, ut Augustinus legebat, *Vanitas vanitantium*. Sæculo nostro, Joanna Francisca Fremiota, cui Director optimus B. Franciscus Salesius nomen Philothææ fecit, post mariti Chantalii toparchæ mortem, patris, soceri, generi, filii, filia, aliorumque affinium funera spectata, aut audita, novissimè ipsum animi sui carissimum patrem absens

amisit, vixitque vitæ suæ superstes, ut unī Providentiæ divinæ, quod avebat, inniti affuesceret, nosque exemplo suo doceret.

x. Psalmo 30. Vates Regius, *Odisti, inquit, observantes vanitates, id est idola, supervacuè, absque ratione & utilitate ullâ.* Augustinus in eum Psalmum, hæc verba ad inanitatem humanæ fiducia trahens: *Speras, inquit, in pecunia? Observas vanitatem. Speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ? Observas vanitatem. In his omnibus cum speras, aut tu exspiras, & ea hîc dimittis: aut cum vivis, omnia pereunt, & in spe tua deficis.* Idem in Psalmum 46. explicans hæc verba: *Deus noster, refugium & virtus, adjutor in tribulationibus: Sunt, inquit, quedam refugia, quò quisque cum fugerit, magis infirmatur, quàm confirmatur. Confugis, verbi gratiâ, ad aliquem in seculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi viderur... Multi cum ad talia refugia confugissent, cadentibus illis, ad quos confugerant, & ipsi quesiti sunt, quos nemo quæreret, nisi ad talia confugissent.* Non est refu-

gium

gium nostrum tale: sed refugium nostrum virtus est: cum illuc confugerimus, firmi erimus. Stultitiam Philistinorum quis non miretur, libro Regum I. cap. 5. idolum suum Dagonis sæpius dejectum, ac fermè comminutum, toties tamen restituentium loco suo & adorantium? Sic sunt, qui humanæ prudentiæ, mortalisque potestatis idola, quotidie collabentia, & in partes dissiliencia, pergunt tamen vanæ fiducia suffitu, & adspiratione, venerari.

XI. *Arbores ruentes, & umbra.* Hinc tam altè insonat Jeremias, cap. 17. utinam sic ut ab omnibus exaudiatur: *Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, &c.* Origenes illud explicans, *Maledictus qui pendet in ligno*, idem ait sibi videri, ac, *Maledictus, qui confidit in homine.* Ingeniosè dictum, & verè. Homo enim quilibet, cui confidimus, à quo pendemus, cui incumbimus, lignum est semiputre, faucium, sic recisum quotidiana infirmitate, ut vix cortice hæreat. Aiunt elephantem à venatoribus capi, notatâ arbore ad quam acclinare se solet, ut in-

terquiescat, aut dormiat. Stantem enim dormire, quia poplites flectere vix possit, aut ne vix quidem. Arboris autem illius truncum secari medium ad corticem usque, ita ut vix hæreat, & mole incumbentis animalis solo afflicta, illud secum trahat. Ita belluam per venatores, rei exitum in insidiis præstolantes, occupari, quia semel collapsa difficillimè exsurgat. Verùmne id sit, non disquiro: cùm à plerisque olim traditum, hodierni Scriptores testes oculati pernegent. Certissimum tamen, ea imagine, hominum plurimos ruere & intercipi. Principem Ecclesiæ vident, aut magnatum aliquem divitiis, amicis, honoribus florentem: cedrus Libani ipsis videtur, aut firmissima quercus. Incumbunt trunco, quem infortunia aut morbi mox partim succident: ita cum proriente ruituri, nec surrecturi, nisi ad ludibrium. *Multi, inquit Augustinus in Psalmum 131. de amicis potentioribus præsumpserunt: ceciderunt illi de quibus præsumpserant, & involverunt illos qui de illis præsumpserant.* Truncos & arbores vocavi, nimis

nimis dixi: umbras dixisse debueram, cum Isaia cap. 30. *Habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Numquam spectasti Jonam sub umbra cucurbitæ, aut hederæ, lætantem, mox mutaturum, cum *vermis ascensu diluculi* hederam percussisset? Sic sunt gaudia & spes mortalium, umbra futilis, verme infirmior, diluculo fugacior, tristitiam lætitiæ eodem momento admistura, & confusura. Nos in umbra illius qui desiderandus est, sedeamus, sub ejus providentia quiescamus.

XII.

*Quatenus
creaturis si-
dendum.*

Sed audio rursus obmurmurantem humanam prudentiam. Equinam enim sæliciores sunt in hac vita, quàm qui vel sibi ipsis facere fortunam possunt, vel ab amicis accipere? Quid humanâ societate fiet, sine fiducia? Nolis igitur patri filium inniti, ægrum medico, pauperem liberali, pœnitentem Confessario, subditum superiori, studiosum ingenio, divitem opibus, ducem militi, Regem potentiæ? Respondeat tibi D. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 4. &

H 4

moneat,

moneat, ut isthæc omnia adspicias, velut instrumenta agentis Providentiæ divinæ. Statuam si interrogas, perfectionemne suam ab instrumento, an verò ab artifice exspectet: si respondere possit, artificem statim nominet. Ita tu à Deo bona omnia exspecta: artifex est: cæteta ejus instrumenta sunt. Sic Ezechias de Isaïa judicet: sic Esther de forma sua, Assuero placitâ: sic Rachel de mariti Jacobi castis amoribus: sic Josephus de genio suo & fælicitate: sic Salomon de opibus: sic Samson de viribus: sic David de fortibus bellatoribus: sic Judæi de Juda Machabæo: sic Machabæus de fratris Simonis prudentia: sic Moses de Jethro socero & consiliatore: sic de Mose Aaron. Instrumenta Dei sunt: fide illis tamquam instrumentis, quæ, sine opificis manu, nihil penitus queunt efficere. Damnandi itaque, qui, Deum obliti, sese aut alios tantummodò spectant in rebus agendis, sperandisque, ut supra monuimus.

XIII.
Et Deo. Objicit sibi deinde cor fiducia
 nescium. Feci quod mones :
 Deum adspexi, ad ipsum recurri sapius :
 maneo interim Saülis instar, libro 1. Re-
 gum cap. 28. *Qui consuluit Dominum, &
 non respondit ei, neque per somnia, neque
 per Sacerdotes, neque per Prophetas. Quid
 mihi superest, nisi anxii animi tristis ægri-
 monia, ut dicam cum Saüle, Coarctor ni-
 mis, siquidem Philistim pugnant adversus
 me, & Dominus recessit à me.* Homo in-
 fælix, Deus à te non recessit, nisi ab ipso
 prius recesseris: providentia ipsius te non
 destituit, nisi eam antè deserueris, pru-
 dentia aut tuæ aut externæ nimis confi-
 sus. Sequere Abrahami exemplum Ge-
 nesis cap. 22. in re maximi momenti, ubi
 de unici cæde agebatur, Isaaco dicentis :
*Deus providebit sibi victimam holocausti, fili
 mi.* Sequere Susannam, que, Daniëlis
 cap. 13. in fumis famæ vitæque angu-
 stiis, flens suspexit in calum, erat enim cor
 ejus fiduciam habens in Domino. Audi mo-
 nitum Siracidæ, Eccli. cap. 2. *Sustine su-
 stentationes Dei: conjungere Deo, & sustine,*

178 BONA VOLUNTAS

ut crescat in novissimo vita tua. Ad increpandam diffidentiam tuam expende verba Augustini in Psal. 145. Dicatur homini in afflictione aliqua constituto: est quidam homo magnus per quem possis liberari: arridet, gaudet, erigitur. Quod si dicatur illi, liberat te Deus: quasi desperatione frigescit. Promittitur auxilium mortalis, & gaudes: promittitur immortalis, & tristis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus, & tamquam aliquo magno auxilio exultas: promittitur ille liberator, qui liberatore non indiget, & quasi ad fabellam desperas? Væ talibus cogitationibus, longè peregrinantur: verè misera & magna mors est in eis.

SECTIO TERTIA.

Tertium Adjumentum,

Consideratio insanie & infelicitatis illorum,
qui à Providentiâ divinâ sese regi
non soununt.

I. Calamitates
ubique. **P**Ropheta Zacharias c. 5. Con-
versus sum, inquit, & levavi
oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans.

Græcus.

Græcus textus habet δρέπανον πηλώμενον
falcem volantem : sed ex Hebræo מגלה
 Meghillah, aptius intelligitur, quomodò
 & Chaldæus expressit, volumen, id est
 membrana seu charta volubilis. *Et dixit*
ad me Angelus: Quid tu vides? Et dixi: Ego
video volumen volans: longitudo ejus viginti
cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum.
 Area capax describendis Hebræorum
 omnium meritis & pœnis. Rabbini ob-
 servant ejusdem prorsùs mensuræ fuisse
 templi Hierosolymitani portam: videri
 itaque inde volumen illud exsilisse. Ut
 nempe intelligamus, à Deo designatas
 ac distributas fuisse Judæis singulis cala-
 mitates suas. *Et dixit ad me Angelus:*
Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem
universæ terræ... Educam illud, dicit Domi-
nus exercituum, & veniet ad domum furis,
&c... Membrana illa volubilis aptissi-
 mè, meo judicio, significet, non calami-
 tatem tantùm publicam, quâ Judæi per
 Babylonios oppressi fuère: sed quamlibet
 à Providentia divina hominibus singulis
 descriptam, & decretam, fixoque tem-

pore ad quasvis domos, ex æterni templi adytis, advolantem. Frustra portas objeceris, seras obstruxeris, pessulum obduxeris: nulla non domus afflictioni pervia est: laborare debet virtus, ut exerceatur; vitium, ut plectatur.

II. *Non bene ubique excipitur.* Id aliàs in Commentariis ostendemus: & simul non omnes, qui laborant, pari tamen sorte & fructu laborare. Quod Augustinus, libro 1. de Civit. eximiè dixit: *Manet dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum: & licet sub eodem tormento, non est tamen idem virtus, & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, & palea fumat; & sub eadem tribula stipula comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo oleum cum amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur. Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vastat, damnat, & exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant: boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatam,*

gitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & fragrat suaviter unguentum. Euundem in sensum Bernardus Epist. 32. ad Abbatem S. Nicasii Rhemensem: Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatione desperationem, & illa interimit. Ne ergo hac te tam horrenda, quod Deus avertat, demergat tempestas aqua, &c.. Tum subdit hortationem ad patientiam. Nos eodem fine describamus infælicem ac deplorabilem statum impatientium, ut, ex oppositione contrarii, virtus, quam commendamus, elucescat, & ad sui amorem nos potentiùs alliciat.

III. *Prima impatientium infelicitas.* Ac primùm ex eo miseri sunt, quod quantumvis miseriis oblucentur, & ægrè ferant incurrentia, ferre tamen inviti cogantur. Cleanthis hac de re verbum sapiens est, à Seneca Latinè factum, Epist. 107.

Duc me parens, summique moderator poli

Quocum-

*Quocumque libuit, nulla parendi est mora.
 Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens:
 Malusque patiar, facere quod licuit bono.
 Melius est ab Augustino monitum audi-
 re, in Psalmum 99. Noli servire cum mur-
 mure. Non enim id agunt murmura tua,
 ut non servias, sed ut malus servus servias.
 Servus es Domini, libertus es Domini: non sic
 queras manumitti, ut recedas à domo man-
 missoris tui. Frustra enim exire de domo
 ejus & manibus quæres, cum undique
 compedibus potentia ipsius vinctus te-
 nearis, quibus, quantumvis reluctans,
 trahêris. Videtis, inquit idem Augusti-
 nus in Psalmum 32. quanti disputant con-
 tra Dominum. Cum enim facere voluerit
 contra voluntatem hominum, quia Dominus
 est, & novit quid faciat, nec tam attendit
 nostram voluntatem, quam utilitatem: illi,
 qui malunt suam potius voluntatem impleri,
 quam Dei, volunt ad suam voluntatem fle-
 tere Deum, non suam corrigere ad Deum.
 De infælici istorum conditione præno-
 tata sunt quædam, partis hujus sect. I.
 numero 6.*

IV.
Alter.

Nec modò non exeunt malis suis, qui obluſtantur, ſed ea per ipſam obluſtationem augent: & impatientiam, quæ triftitiæ genus eſt, cordique dolorem imprimi, aliis doloribus ſuperadjiciunt. Febricitans, quantumlibet ſeſe in lecto convolvat, febrim non excutiet, imò agitatione magis accendet. Latro à fatellitibus comprehenſus, ſi obſiſtit, manicas præterea patietur, & pedibus pulſabitur, & nodofos ſtipites ſentiet. *Laqueos, inquit Seneca libro de Conſol. ad Helviam, fera, dum jactat attingit. Aves viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum jugum eſt, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem.* Aiunt medici, cùm venenum ab animali epotum eſt, cor, quod illo maximè petitur, intumeſcere, agitari, poros calore diſtendere, ut ſe defendat: & ea ipſa defenſione venenum citiùs ad ſe trahere, atque intrò ſuſcipere. Ita impatientes, nimià adverſus dolorem repugnantia, & commotione, plus doloris concipiunt, aditumque illi ad cordis intima aperiunt.

Narrant,

Narrant, Agefilao Spartanorum Regi, arthritide vexato, Carneadem Philosophum affuisse, & ne molestus esset, sermonem abrumpere, & abire voluisse: at illum ostensis manibus ac pedibus primum, dein cordis fede, dixisse malum illuc esse, huc autem nondum penetrâsse: itaque assideret, & confabularetur. Longè aliter cum impatientibus agitur, quibus majus malum à mali odio, quàm ab ipso malo est: & qui optimè dicere de se possint, quod aliâ sententiâ Tobias, *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cali non video?* Quid lætitiæ illis erit, qui Dei providentiam, per calamitates ad æterna ducentem, non adspiciunt?

V.
Tertia. Crescit infortunatorum hominum infælicitas ex eo, quod ingentem thesaurum meritorum impatientiâ suâ miserè prodigi perdant. Quantum miles inter vulnera, aulicus inter indignitates quotidianas, ancillæ & servi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in suis calamitatibus, *lucri cum Deo.*

Deo facere potuerant si toleranter ferre incommoda ingruentia voluissent. Sed heu! *Viri divitiarum dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Struthio, crassum & stupidum animal, alas habet, sed non subvolat. Habuere isti alas, quibus in cælum evolarent: in fabulo ac cœno hære maluerunt. Hoc Infidelibus exprobrabat. Augustinus lib. 1. de Civitate: *Perdidistis utilitatem calamitatis, & miserrimi facti estis, & pessimi permanistis.* Salvianus, libro 7. de Providentia, idem de ætatis suæ hominibus conquerabatur: *Quid hoc mali est? Iumenta & pecudes sectione curantur: nos nec cauterii adustione, nec ferri desectione curamur, imò, quod pejus est, curâ ipsa deteriores sumus.*

VI. *Quarta.* Inde sensim ad majus longè infortunium delabuntur, ut quemadmodum à medico ægri insanabiles, ita ipsi à Deo deserantur, & dimittantur secundum desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis. Doctus fessor equo domando franos, camos, calcaria, virgas,

virgas, compedes, quidlibet denique adhibuit incassum: quid superest, nisi ut præcipitem abire patratur? Pueris efformandis quantam oporteat adhibere diligentiam, nôrunt parentes & magistri: clamandum, instandum, nunc minis, nunc promissis, nunc honoris invitamento, nunc metûs stimulo. Posteaquam incassum infrunito adolescentulo impensa sunt omnia: magister denique, aut parens, operam perdere desinet, & immorigerum relinquet sibi. Eum in modum Deus acturum se affirmat, Jeremiæ cap. 2. *Super quo percutiam vos ultra, addentes prevaricationem . . . Frustra percussi filios, disciplinam non receperunt.* Simili causâ & formulâ, Ezechielis cap. 16. Deus ait futurum, ut ultrâ non irascatur. Famulum neque imperiis, nec probris, nec verberibus obtemperantem herus domo ejiciet, nec recipiet ampliùs, nisi desipiet. Eodem modo cum Judæis Deum egisse, dicit Cyprianus, Oratione 3. contra Judæos. Apud Amos Prophetam cap. 7. Locustæ famem, Ignis pestem, Trulla bellum, flagella

gella tria, aliud ex alio Israëlitis immiffa, indicant. Cæmentarius deinde, de inducendo muro desperans, *Ponam, inquit, trullam in medio populi mei Israël, non addam ut superinducam eum.* Cur autem de populi istius emendatione desperatur? Causam habes cap. 6. ubi tempore pestis nolunt sibi de Providentia Dei fieri mentionem: *Tace, inquit, & non recorderis nominis Domini.* Deposita est illorum curatio, qui curari à Deo nolunt.

VII. *Ultimum exitium.* Quid autem de ejusmodi hominibus, à Deo desertis, expectandum est, nisi extrema perniciēs? *Vae eis, inquit Deus, Osee cap. 9. cum recessero ab eis.* Recedente salute, salus sperari non potest. Luce vitæque abeunte, nil præter mortis umbram & caliginem expectari debet. Deseri à Deo homines, prosperitate & bonis caducis immodicè abutentes, non equidem ita dolendum est: receperint bona in vita sua; in altera crucientur. At infælicitatem tam infæliciter à quibusdam hominibus excipi, ut ideò divina ope destitui mereantur, quis

quis satis lugeat? Damnetur Cainus invidiâ, Gigantes ante diluvium injustitiâ, Nembrothus homicidiis, Her & Onam infanda mollitie, Sodomitæ infamibus vitiis, Pharao obduratâ contumaciâ, Abiron superbiâ, Core rebellione, Absalon ambitione, Saul inobedientiâ, Holofernes ebrietate, Jezabel impietate, Antiochus sacrilegis latrociniis & cædibus, Alcimus infami proditione, Dives Epulo immisericordi erga pauperes crudelitate, Virgines fatuæ væcordi negligentia, Caïphas politico consilio, Judas avaritiâ, Pilatus infano metu displicendi. Sed damnari morbis suis Jobum, captivitate Josephum, exilio Jeremiam, cæcitate Tobiam, tormentis septem matris Hebrææ liberos, carcere Joannem, paupertate Lazarum, quis non lamentaretur? Nonne isthæc foret omnium maximè deploranda infælicitas: hujus vitæ miseriis æternarum miseriarum experimentum & præjudicium antecapere; ex Purgatorio temporali ad inferos descendere: cum alioqui ex Purgatorio ad cælum apertus, facilis-

facilisque trames compendio duceret?

VIII.

*Pessimum
impatien-
tium genus.*

Tūne verò, inquis, impatientes omnes eò miseriarum devenire existimas? Atqui quotumquemque invenies, perfectæ in malis tolerantia? Quota ergo hominum pars à Deo non deseretur, si impatientes omnes merentur destitui? Ne trepida. Non omnes eodem gradu impatientes sunt. De infimo & pessimo hīc loquimur. Si sunt, qui vel apertè Deo obloquuntur, vel apud se saltem contra ejus decreta obmurmurare audent. Cujusmodi fuit pessima, si tamen pessima permansit, viri optimi uxor, quæ sub doloribus fatiscenti incubabat, *Benedic Deo, & morere*, id est, blasphemam aliquam vocem adversus Deum evome, ut cæteris tuis calamitatibus mortem adjiciat, harum calamitatum finem, & principium scilicet æternarum. Tales fuere, qui apud Malachiam cap. 3. increpabant claris vocibus, vanum esse hominem, qui Deo serviret, cum piis juxta & impiis mala incurrerent. Consimilia plurima apud Prophetas alios miserorum

Israë-

Israëlitarum, ac Judæorum, verba reperire est.

IX. *Intoleranda eorum impudentia.* *Vae, inquit Isaias cap. 45. qui contradicit factori suo, testa de Samiis terræ. Ecce, inquit Jeremiæ calamo Deus cap. 18. sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea: & tu Baruc, fide secretorum meorum depositarie, lutum es: & tu Sobna, quantumcumque inter primores emineas, aut eminere videaris, coram Deo lutum es: & tu Rex Sedecia, scepro, diademate, purpurâ ornatum lutum es: & vos filia Sion, amictæ auro primo & gemmis splendidæ, lutum estis: & tu Regina, in cultu Persico & luxu Babylonico, lutum es. Luto suo facit figulus quod vult: Deus suo, quod volet, non faciat? Aquâ figulus lutum macerat: Deus vult, ut afflictionum aquæ intrent usque ad animam nostram. Pinsit lutum figulus: calamitosos conculcat homo, tota die impugnans tribulat. Figulus manibus lutum effigiat: Deus in homine calamitoso vertit & convertit manum suam. Dirumpit figulus lagenam aut vascu-*

vasculum suum, quando collubuerit, contritione prævalida : Deus confringet ad numerum dentes nostros, quando fuerit collibitum, & sicut vas figuli confringet nos. Sapiientis erit dicere cum Michæa cap. 7. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei:* aut cum Jobo, *Peccavi, & verè deliqui & sicut dignus eram non recepi* : vel, verbis Machabæi nostri, amantiùs & suaviùs, *sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat*. Sin obmurmuret, & conqueratur testa de Samiis terræ, quis impudentem insaniam non excretur ? Interrogabat Corinthios Paullus I. epist. cap. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit ? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat ?* Indignetur scilicet vitis, uvam à vinitore decerpi & exprimi : non patiatur ovis à pastore se tonderi. Irascatur homo, quod à Deo intorculari dolorum ponatur, & bonis caducis velut lanâ spoliatur : cùm tamen longè magis proprium sit Dei peculium, quàm vinea vinitoris, aut vervex pastoris. Mactabitur itaque pecus inutile: vitis obdurata & infrugifera
 refeca-

192 BONA VOLUNTAS
refecabitur, ut flammis pabulum fiat: &
homines tam insanè & impudenter impa-
tientes, sicut oves in inferno ponentur,
mors depascet eos.

x. Alterum impatientium genus,
Genus
alterum. Deo quidem parcat, at non sibi:
id est adversus Providentiam divi-
nam directò non pugnat, sed indirectè,
& per suum ipsorum latus. Isti simul in-
fortunium haud expectatum incurrere,
attoniti hærent, velut quos fulmen percu-
lit: mox projecto animo, depositâ omni
de Deo fiducia, à solitis pietatis exerci-
tiis cessant. Quibus optimè Bernardus
suum illud, epistolæ 256. ad Eugenium Pa-
pam, accinuerit: *Numquid ideò debet ho-*
mo facere quod non debet, quia Deus facit quod
vult? Pejori loco erunt, & ad primum
impatientium genus accedent, si, ut ca-
lamitates exeant, ad malas artes confu-
gient, nec tantùm bona debita omittent,
sed etiam mala vetita committent. Eum
in modum Saül, ingruentium hostium
metu percitus, posteaquam responsum à
Deo nec per sacrificia, nec per vaticinia,
nec

nec per somnia signave accepit, ad pytho-
nissam consulendam profectus est. Ita
Judæi, ab Assyriis sibi metuentes, ad um-
bram Ægypti, vetante nequidquam Deo,
refugerunt, & ut biberent aquam flumi-
nis, dereliquerunt venam aquarum viven-
tium Dominum.

xi.
Tertium. Frequentiores multò sunt impa-
tientes tertii gradus: qui nec Deū
apertè impetunt, nec semetipsos tam
crassè lædunt, sed de rebus, temporibús-
ve, cum indignatione conqueruntur.
Immeritò tamen, cum scire debeant, res
omnes ac tempora, Providentiæ divinæ
famulari: & noctes ac dies, frigus & æsta-
tem, creata quælibet magna ac pusilla,
benedicere Domino, quia faciunt verbum
ejus. Obmurmurabat aliquando Maria
Diazia, in Vita P. Baltassaris Alvarez, de
frigoris hiberni inclementia: cum illicò
vocem intùs monentis audiit: ego frigus
istud feci, tu de illo, quasi nimium esset,
submurmuras? Ad eam classem perti-
nent, qui opere, itinere, consilio, ex sen-
tentia non succedente, bilem in animalia

aut instrumenta inanima, exonerant. Hi cum Balaamo, asinam percutiente, mereantur habere correctorem insipientiæ suæ subjugale mutum animal.

XII. *Quartum genus.* Quartus gradus est pueriliter impatientium, querulorum ad omnia, perpetuò gementium, cuiuslibet mala sua aperientium, ad inanem consolationem aut misericordiam captandam. Prorsùs, quemadmodùm dicere solitus B. Franciscus Salesius, sicut pueruli, qui ubi sumnum fortè digitum adusère, matri ostendunt, tum patri, dein sororibus, dein obviis quibuscumque notis, neque antè lamentari cessant, donec omnes insufflârint, aut inspuerint. Rectè de hoc pusilli animi vitio Seneca, libro de Consolatione ad Polybium; *Non sentire mala sua non est hominis; non ferre non est viri.* Ingemiscet aliquando vir fortis, infortuniis percussus, amicóque uni atque alteri, ad leniendum doloris sensum, sese aperiet. Neque enim fortiozem ego Christo Christianum esse voluerim. Ingemuit, tristis esse voluit, discipulis non omnibus,

bus, sed tribus, animi sui mœrorem de-
textit: neque isthæc gravitati & fortitudini
sux indecora esse judicavit. Sic agat æger,
pauper, mœstus Christianus, per me licet.
At ubi naturæ istud dederit, conetur eo-
dem Christi exemplo sese erigere, nec
malis cedere, sed contra ire audentior;
certus, quæcumque à Dei voluntate eve-
niunt, videri potiùs mala, quàm esse.

